DISSERTATIO

N° 192.

DE

PERITONITIDE;

Quam pro Doctoris Medicinæ gradu ritè obtinendo, inclytæ Facultatis medicæ Parisinæ examini submittet, et die Trigesimo primo mensis Augusti tueri conabitur

N. VANVRECKEM, ex Meerbeke,

(In Belgio).

Non est in medico semper relevetur ut æger;
Interdùm doctâ plus valet arte malum.

OVID.

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1816.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

D. LEROUX, Decanus.
D. BOURDIER.
D. BOYER, *Examinator.*
D. CHAUSSIER, *Examinator.*
D. CORVISART.
D. DEYEUX, *Examinator.*
D. DUBOIS.
D. HALLÉ, *Examinator.*
D. LALLEMENT.
D. PELLETAN.
D. PERCY.
D. PINEL.
D. RICHARD.
D. THILLAYE.
D. DES GENETTES, *Præses.*
D. DUMÉRIL.
D. DE JUSSIEU.
D. RICHERAND.
D. VAUQUELIN.
D. DESORMEAUX.
D. DUPUYTREN.
D. MOREAU.
D. ROYER-COLLARD, *Examinator.*

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS,

NEC NON

PATRUO ET AMITÆ OPTIMIS.

Hasce studiorum primitias pro tot tantisque erga me beneficiis, grati animi leve pignus, sacras volui.

N. VANVRECKEM.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/dissertationdepe0007vari

DISSERTATIO

DE

PERITONITIDE.

Inter innumeros, quibus humana compages afficitur, morbos, pauci certè sunt qui pro sede et intensitate symptomatum, majorem à medicis sagacitatem et attentionem requirunt quàm peritonitis : natura enim quæ suis quidem viribus, plurimis medetur morbis, hìc verò tantum malum vincere nescia, nisi medicina subsidium ferat, inflammationis sub onere persæpè concidit. Frequentem hunc et brevi temporis spatio lethalem abdominis phlegmasiæ exitum, formidandorum symptomatum cohors, viscerumque, quorum sæpè læsione complicatur, nobilitas, satis explicant.

Varii varia huic morbo auctores nomina imposuerunt, prout peritonæum ex toto vel solùm aliquam illius partem inflammatio tenebat, hujusque tot ferè species instituerunt quot in abdomine viscera et peritonæi partes hæc inter se connectentes inveniuntur : itaque *J. P. Frank* (1) psoïtim, peritonitidem lumbalem, mesenteritidem, epiploïtim, etc., accepit, diligenterque signa cuilibet varietati propria exposuit, prout phlegmasia peritonæum occupabat quo loco musculos psoan, iliacum, vertebrarumque columnam obtegit, aut mesenterium et omentum constituit. Paulò post sequentem adhuc distinctionem his verbis facit : « Alia verò, inquit, perito-

(1) De curandis hominum morbis epitome, lib. 2. Manhemii, 1792.

« nitis erysipelatis quasi naturam assumit, ac in latum magis dif-
« fusa, in tumorem vix conspicuum assurgit; altera phlegmonis
« in modum tumorem circumscriptum et propria illi syptomata
« exhibet. Prima, quæ frequentiùs symptomaticam peritonæi phlo-
« gosin constituit, in abscessum rarò terminatur; sed transsudatio-
« nibus coagulabilis lymphæ ac seri in cavum abdominis favet
« magis : ob quem effectum purulenta à nobis salutatur. Altera
« imprimis ad musculos obvia, in suppurationem frequenter ac
« in abscessus difficiles convertitur ». Sed mox ipse fatetur quòd nullo symptomate quo satis hæ variæ species inter se et à peritonitide distinguantur, incedant. Alii contrà veram morbi naturam atque sedem, cadaverum sectione necdùm sat illustrata, ignorantes, hunc pro hepatitide, gastritide, enteritide, etc., descripserunt : tamen haud rarò evenit, nisi levissimus foret, ut per contiguitatem ad partes peritonæo connexas sese extendat, veramque horum viscerum læsionem simulet. Quod phænomenon serosis membranis proprium tribuitur; etenim nonne pleuræ pulmonalis inflammationem ad ipsam pulmonis peripheriam prorepentem, veræque pneumoniæ symptomata offerentem sæpè conspeximus? testemque in hydroceles, per injectionem, curatione, eâdem corripi? Hujus complicationis diagnosis difficilis semper et aliquandò impossibilis est; sed hìc, uti in pluribus aliis morbis, errores adeò periculosi non sunt; curandi enim ratio utrique affectioni ferè eadem, pro diversis casibus solummodò modificanda, adhibetur.

Peritonitis in duas dividitur species, quarum prior in utrumque sexum ac in omnem vitæ periodum cadit; altera solas in puerperas sæviens idcircò *puerperalis* dicitur.

Causæ. Hæ sicuti in omnibus ferè morbis, in causas prædisponentes et in causas efficientes dividi possunt.

Causæ prædisponentes. Sanguineus aut irritabilis corporis habitus; ætas adulta, cibi succulenti alcoholicorumve liquorum cre-

brior usus, Venus nimiùm culta, habitatio in locis frigidis et humidis, animi pathemata tristia diù protracta, prima menstruorum eruptio; sed huic præsertim morbo viam aperiunt præviæ harum partium inflammationes, et eò faciliùs quò sæpiùs repetitæ fuerint; remanet enim semper ad recidivam propensio.

Causæ efficientes. Ad illas imprimis referuntur subitæ temperiei commutationes, aër frigidus per angustas rimas in denudatum et æstuans corpus violenter actus, concussio, lapsus, compressio, vulnus, aut alia quæcumque abdomini vis illata, hernia incarcerata, intestinorum invaginatio, herpetis, scabiei, podagræ aliûsve cutanei vel arthritici morbi metastasis, hæmorrhoidorum, mensium, leucorrhææ, vel cujuscumque solitæ evacuationis retentio, violentus iræ impetus uberiori cibo illicò succedens, purgantia drastica intempestivè sumpta; gelidi potus subitò magno haustu, excandescente animo aut sudante corpore, ingesti, introducta in ventriculum venena, præsertim acria et corrodentia, urina, stercora, pus, bilis, aut insolitum quodcumque stimulans in abdominis cavum immissum, calculi è vesicâ extractio, præsertim per hypogastrium, herniarum inguinalium, cruralium, umbilicarum, rudiore manu, sive ferro reductio.

Symptomata. Peritonitidis frequentes prodromi sunt : primarum viarum saburræ cum quodam distensionis aut ponderis in abdomine sensu; sed non rarò fit ut benè valentes ex improviso hoc morbo corripiantur : incipit autem aliarum inflammationum ad instar, ut plurimùm cum erraticis horroribus, calore permixtis, vel cum rigore et membrorum torpore. Hæc phænomena per duos tresve dies sæpè protracta, per intervalla plus minùsve longa renovantur. Succedunt aut interdùm etiam præcedunt dolores in quâdam abdominis parte acerbi, pungentes, vagi vel fixi potiùs et ardentes, umbilicumque plerumquè tenentes : hi per attactum levissimum immaniter exasperati, tussi quoque et inspiratione, vomitu, urinæ

feciumque excretione, et quôcumque corporis motu insigniùs urgent. Adest calor, nunc moderatus, nunc intensus, et internas quasi partes exurens; cutis sicca, vel sudores sat copiosi; pulsus parvus, celer, contractus; in aliis paulò plenior, nec naturali multò frequentior; accedunt hypochondriorum tensio, anxietas, singultus, nauseæ, ac tandem vomitus albidæ mucosæ, vel subviridis et biliosæ materiæ : supinus decumbit æger; in tumorem venter ac meteorismum assurgit; brevis difficilisque respiratio, solo thorace, propter exquisitissimam totius abdominis sensibilitatem, absolvitur; tussiculâ siccâ torquetur ægrotans; vox exilis est, tarda atque laboriosa; lingua nitida, rubra, sub finem plus minùsve sicca; sitis multa, diarrhæa cum vel sine tenesmo; sed sæpiùs adest constipatio et spasmodica ani constrictio, sub finem autem plerumquè solvitur alvus; urinæ parcæ, rubræ, urentes, sine sedimento difficilè emittuntur; frigido sudore pallida collapsaque facies obducitur, ejusque versùs nasi radicem lineamenta tracta videntur : interdùm rubet facies, oculi sunt minaces, pulsus pleni, ac tandem loquelâ, delirio, frequente in lecto jactatione, subitisque capitis motibus miserè torquetur ægrotans, donec gradualis symptomatum accedat remissio, aut cita mors ægri cruciatibus finem imponat.

De Peritonitide puerperali.

Pauci haud dubiè morbi sunt, de quibus auctorum observationes et judicia tam varia tamque discrepantia fuerunt, imò et tantoperè scriptum ac disputatum est, quàm de *febre puerperarum*, de ejus sede, causis atque naturâ. Sed de his multa verba facere, auctorumque dissimiles inter se opiniones referre, nec locus, nec in mente meâ fuit; solummodò dicam quòd vicissim lochiorum suppressio, et lactis in abdominis viscera metastasis, ab illis; partus verò laboriosus aut contagium quoddam proprium ab aliis, veluti hujus morbi causæ, denunciata fuerint : idem occurrit de ejus sede quæ

tùm in utero, tùm in intestinis posita fuit : nec minùs de naturâ morbi differunt sententiæ; etenim biliosam, putridam, eruptivam illi, alii verò inflammatoriam aut nervosam esse asserunt. Sed veræ hujus morbi causæ, natura atque sedes à neotericis innumeris cadaverum sectionibus solùm illustratæ fuerunt, illorumque observationibus et communi ferè consensu constat, 1.° *febrem puerperalem*, veram esse peritonæi inflammationem puerperio scilicet modificatam; 2.° hanc phlegmasiam non semper aut putridam, aut biliosam, aut inflammatoriam esse, sed, ad instar aliorum morborum, illis quandòquidem symptomatibus complicari posse; 3.° lochiorum aut lactis suppressionem, illorumque in abdominis viscera metastasin hujus morbi non esse causam, sed effectum; *ubi enim fit stimulus, ibi fit affluxus*; 4.° effusum humorem, in abdominis cavo post peritonitidem repertum, aspectu et examine chymico omninò similem esse illi, qui post alias inflammationes in quovis sexu et in quovis corporis cavo reperitur.

Causæ. Quæ verò puerperas his inflammationibus frequentiùs ac pejori sub omine mulctari faciunt, hæc certè tùm in illis quæ ad pelvim ac ipsum abdomen, tùm quæ in toto prægnantis, parturientis ac puerperæ mulieris systemate contingunt, quærenda erunt. Itaque, præter causas generales pro peritonitide suprà enumeratas, peculiariter assignantur; frequentes prægnantium diætetici errores, durus pauperiorum ad partum usquè protentus labor, aut vita matrum ditiorum desidiæ et luxuriæ plena, continuatum ad seram graviditatem cum viro commercium, vestimenta abdomen arctiùs comprimentia, aucta mulieris per graviditatem puerperiumque sensibilitas, animi pathemata, terrores, vel ob feliciorem partum nimia securitas, frequentiores amicorum aditus et colloquia, præmatura è lecto surrectio, frigoris impressio, vel contrà stragula permolesta, transpirationis augendæ gratiâ puerperis imposita, alimenta majori copiâ ingesta, denegata puero lactatio; in nosocomio autem, loci impuritas, aërisque corrupti, rari, non

renovati, usus. Sed huic morbo præsertim ansam præbent sectio abdominis in operatione cæsareâ, partus laboriosus, longus, rudiore manu, ferro absolutus, incauta ac sæpiùs repetita in uterum manûs introductio, intempestiva et violenta nimis secundinarum extractio; tandem potus calidi vinosi, cortice cinnamomi, aut aliis aromatibus conditi, quos tam frequenter puerperis refocillandi vires gratiâ, administrare, calamitosus vulgò mos invaluit.

Symptomata. Ordinariè à secundo post partum die ad sextum puerperas invadit, aliquandò citiùs, interdùm verò seriùs. *Frank* illam decimo quarto à partu die occurrentem vidisse testatur; sed rari hi casus in praxi observantur. Præcedunt quamplurimùm dolor in abdomine vagus, pulsus irregulariter naturali frequentior, anxietas, cephalalgia cum gastricæ colluviei apparatu plus vel minùs vehemente; nec tamen perpetua hæc sunt, pluresque vel sanissimæ puerperæ inopinatò ac sine prævìis saburrarum signis, hoc morbo corripiuntur. Symptomata verò ab ipsis quæ suprà communi peritonitidi assignavimus vix differunt, nisi functionum quæ puerperium concomitantur, læsione; itaque detumescentes collapsæque mammæ vel ob secretionis lactis defectum, vel ob ejus suppressionem observantur, retinentur lochia, aut saltem minore copiâ fluunt.

Complicationes. Haud rarò peritonitis aliam phlegmasiam, aut quamdam ex febribus essentialibus, decursum suum plus minùsve perturbantem, sociam sibi assumit; iatque cum febre inflammatoriâ quandòquidem copulatur, præsertim apud homines sanguineos uberiore cibo utentes: causis etiam quibusdam hæc complicatio potiùs quàm aliis veluti vulneribus abdomini illatis, solitæ sanguinis evacuationis retentioni obsequitur. Hoc in casu, symptomata inflammatoria graviora; pulsus duri, pleni; facies rubra; dolores acerbissimi atque delirium simul occurrunt. Sed frequentiùs adsunt primarum viarum saburræ, præsertìm apud

puerperas parcè malèque pastas, quæ ordinariè morbum præcedunt; hæc complicatio cephalalgiâ, oris amaritie, linguâ flavâ, cuti siccâ, aridâ, et quodammodò flavescente, intensisque biliosæ materiæ vomitibus aut diarrhœâ stipatur. Adynamicæ verò et ataclæ febres peritonitidi plerumquè superveniunt in nosocomiis quibusdam insalubribus, ibique ab aëre corrupto pravisque alimentis simul ac à contagii et epidemicæ constitutionis influxu originem ducere videntur : tamen huic complicationi in omni aliâ vitæ circumstantiâ ansam præbent, perversæ et debilitantes nimiùm curationes, præsertim dùm biliosæ affectiones peritonitidem comitantur, et præviis morbis debilitata est constitutio; pulsus autem exilis, virium prostratio, lingua et gingivæ fuligine obductæ, fœtidæ materiæ secessus, delirium, facies collapsa et alia huic febrium generi propria symptomata, infaustam hanc complicationem denunciant. Persæpè etiam aliorum viscerum, præsertùm abdominalium inflammationes, peritonitidem comitantur, sive à peritonæo ad viscera ab eo obtecta, sive à visceribus ad peritonæum per contiguitatem inflammatio migraverit : tùm verò suprà dictis symptomatibus propria visceris læsioni signa junguntur.

Exitus. Frequentiores peritonitidis exitus per resolutionem, suppurationem et gangrænam locum habent, sed haud rarò etiam in morbum chronicum convertitur : itaque, 1.° faustam sperare resolutionem licebit, quandò levia sunt symptomata levibus ipsis deducta causis, quandoquè sano corpori sana tempestivè medicina paratur. Tùm verò brevi gradualis symptomatum accedit remissio, retentæ de novo prorumpunt evacuationes, pulsus tardiores, pleniores mollioresque fiunt, dolores ac tensio abdominis imminuuntur, ita ut attactus quidem fortiores patiatur; in alterutrum latus incumbendi facultas, somnusque reficiens hinc indè ægro conceditur, vaporosi, calidi, æquales ex totius corporis superficie elevantur sudores, facilis alvi solutio, urina cum sedimento, aliave criticæ evacuationes morbi solutionem efficere videntur. 2.° Suppuratio plerumquè deci-

mum circa diem graviori inflammationi, ultra solitum morbi decursum, sine criticâ evacuatione, eâdem intensitate protractæ, succedit; ubi verò fieri incipit, febris et dolor increscunt; æger sine ordine inhorrescit moxque æstuat : pure autem facto, accedunt pulsus parvi, celeres; cutis sicca, arida; horrores, irregulares cum ponderis cujusdam in abdomine sensu; mox deindè anxietas, meteorismus, faciei collapsus, delirium, animi deliquia, et reliqua propinquæ mortis signa simul occurrunt. 3.° Gangrenæ frequenter ansam porrigunt cum adynamicâ aut atactâ febre complicationes, vel contrà etiam graviora inflammationis symptomata, præsertìm dùm antiphlogisticæ negliguntur curationes; signa hujus sunt subita, absque crisi acerbi doloris remissio, extremarum partium frigus, pulsus deficiens, vel tactu exilissimus, inæqualis atque intermittens; vomitus ac secessus graveolentis materiæ, vultus fœdus, pallidus, frigido ac viscoso sudore opertum corpus, virium prostratio atque collapsus universalis, abdominis post meteorismum aliquandò depressio, lipothymia, delirium. Hæc quamvis medico lethalem denuntient exitum, ægrotanti tamen dolorum remissio spem sæpè ac serenitatem restituit, et jam jam recuperatâ sanitate gaudet infelix, dùm brevi corpus exanimatum erit. 4.° Transitus in morbum chronicum plerumquè observatur apud mulieres et homines debili ac nervosâ corporis constitutione præditos : licet initio morbi ferocissimis ægri cruciatibus affici videantur, minimumque haud perferant attactum; id tamen potiùs, ut opinor, irritabili illorum structuræ quàm inflammationis gravitati tribuendum; nam solâ sæpè aliquarum hirudinum aut fomenti emollientis applicatione illicò de intensitate multùm remittere conspexi; coctionis verò et criticæ evacuationis signa rarò superveniunt : symptomata quamvis mitiora tamen persistant, et per intervalla plus minùsve longa exacerbantur, ac læsâ mox vario modo peritonæi structurâ, auctâque seri secretione tandem in hydropem ascitim, febrem hecticam, marasmum convertitur. Sed felicior interdùm conceditur eventus, gradatìm minuuntur ac recedunt exacerbationes, benigna fit morbi resolutio, et post duos tresve

menses, aut longioris aliquandò temporis spatium, ægrotantes hoc morbo incolumes evadunt. Duplex hujus exitûs mihi hoc vere exemplum in nosocomio vulgò *Hôtel-Dieu* observandi fuit occasio; unum in puellâ annos natâ viginti quatuor, irregulari menstruorum fluxu laborante; aliud in muliere puerperâ : lymphaticâ ambæ ac nervosâ præditæ erant constitutione, pulsus celeres contracti, facies rubra, abdomen dolentissimum, levioris attactûs impatiens, et alia intensiora symptomata, initio gravem mentiebantur inflammationem. Clarissimus D. *Petit*, cujus in aulâ clinicâ decumbebant ægræ, hirudines *n.°* *viij* vulvæ puellæ, et *n.°* *xij* loco dolenti puerperæ applicandas, cum fomento emolliente et potu mucilaginoso, curavit. Posterâ die, pulsus pleniores, tardiores mollioresque, in utrumque latus incumbendi facultas, abdomen attactus sat facilè ferens, brevem morbi resolutionem promittebant; sed, sub vesperam, pristina redierunt cum eâdem ferè intensitate symptomata, quæ, reiteratâ hirudinum applicatione, pari successu oppugnata fuerunt. Subindè dolores, licet multò mitiores, cum levi febre ægrotantes tamen tenebant, exacerbationes hinc illinc et interdùm cum multo vigore et vario symptomatum apparatu superveniebant; sed rariores gradatìm mitioresque facti, tandem circa decimam hebdomadem, potu mucilaginoso, fomento emolliente, alimento levi atque balneis tepidis feliciter curatæ fuerunt.

Diagnosis. Omnibus quæ de causis et symptomatibus hujus morbi hucusque diximus, benè perpensis, diagnosis difficilis non erit, dùm tensio, meteorismus, dolor abdominis pungens, minimi impatiens attactûs, pulsus celeres, parvi, singultus vomitusque adsunt. Distinguitur enim à dysenteriâ et à colicâ nervosâ : hæc doloribus attactu et pressione abdominis de intensitate remittentibus; illa verò dolore secundùm intestina crassa prorepente, tenesmo, mucosis secessibus, sanguine aut carunculis permixtis parvâ copiâ frequenter redditis, stipatur. Sed procul abest quin adeò facile sit, illam à gastritide, enteritide, aut ab aliâ cujusdam visceris

peritonæo investiti phlegmasiâ planè discernere; plurimosque morbos apud auctores sub *enteritidis* et *gastritidis* nomine descriptos, nihil aliud esse quàm peritonitides, reperimus. Causarum investigatione et urgentioribus quibusdam symptomatibus quid lucis interdùm excutitur; itaque, dùm ab introducto in ventriculum veneno morbum originem ducere videtur, dùm dolores epigastrium et umbilicum præsertim occupant, dùmque vel lenissimi potus vomitibus rejiciuntur, gastritidem aut enteritidem existere, vel saltem à mucosâ ventriculi aut intestini membranâ ad serosam per contiguitatem morbum prorepsisse, jure suspicandum. Si verò hepar, reni, vesica uterusve inflammationem participant, id icterus, dolor ad lumbos profundus cum urinæ suppressione, mictus cruentus, difficilis, dolor in hypogastrio et mucosæ materiæ per vaginam excretiones, aliaque horum viscerum læsionis signa pathognomonica satis docebunt.

Prognosis. Peritonitis est semper malum grave, præsertìm apud puerperas; sed variare debet prognosis pro causarum et symptomatum intensitate, pro ætate, constitutione et viribus ægrotantis, pro variis complicationibus et exitu morbi. Itaque sanationis spem præbent juvenilis ætas, bona in ægrotante constitutio, levia symptomata levibus ipsis orta causis; pulsus ex celerioribus ac parvis, tardiores, pleniores, mollioresque facti, respiratio libera, suppressæ evacuationes de novo prorumpentes, sudor vaporosus æqualis ex toto corporis superficie moderatè elevatus, urina cum sedimento crasso, somnus reficiens; benigni enim per resolutionem morbi exitûs, nisi perversâ medelâ exasperentur, indicia sunt. Id nobis in nosocomio observandi haud defuit occasio: mulier annos nata viginti quatuor, fortissimæ constitutionis, secundo à felici puerperio, die dùm mane expergisceretur, neonatum pridiè bene valentem, exanimatum reperit; hâc improvisâ morte consternata, illicò fere lochiorum fluxûs suppressione ventrisque doloribus afficitur. Nosocomium suprà dictum allata, tertio à morbo die, à puerperio autem quinto,

de dolore pungente acuto in hypogastrio ad hypochondrium dextrum prorepente, et attactu levissimo multùm adaucto, conquærebatur; aderant pulsus parvi, celeres, duriusculi, decubitus supinus, lochiorum suppressio, tussicula permolesta : lac in tumefactis ac dolentibus mammis retinebatur. (*Dect. semin. lini et rad. alth. hirudines n.° viij vulvæ ; foment. emoll. abdomini et mammis admoveantur.*) *Quarto die* : sudores copiosi de nocte occurrunt quos omnium symptomatum remissio secuta est. (*Iterantur decoct. et foment. emoll.*). *Quinto* : lochia fluunt albo colore, lactis abundans è mammis fit excretio, dolores ferè nulli, abdomen attactus fortiores patitur, pulsus pleni, molles; ac mox subindè convaluit ægra, quæ septimo curationis die, à morbo autem nono, benevalens hospitio egressa est. Eadem ferè in puellâ annos natâ novemdecim pravæ vitæ conditionis observavimus ; à subitâ paulo diutiùs protractorum menstruorum per frigidas lotiones suppressione, peritonæi nec levis inflammatio orta videbatur : sed iisdem ac præcedens peritonitis puerperalis feliciter oppugnata remediis, decimo tertio ab ingressu die, nosocomium sana reliquit. Contrà verò periculum indicant symptomata gravia, gravibus producta causis, veluti partu difficili ferro absoluto, vulnere abdomini illato; debilitata priori morbo ægrotantis constitutio, complicationes variæ, præsertùm cum adynamicis et atactis febribus, eòque periculosior prognosis erit quò vehementior morbi ingressus, quò major anxietas et abdominis meteorismus, quò impetuosiores vomitus ac tardiores sine dolorum levamine comparent, quò frequentior et exilior pulsus, quò magis singultus, lipothymiæ, deliria urgent. *Elisabetha Descroix* annos nata viginti quinque, lymphaticâ ac debili constitutione prædita, circa septimum à conceptione mensem geminum edidit fœtum ; facilis et naturalis partus fuit, sed obstetrix imperita sæpiùs repetitâ manûs in uterum introductione et duris in hypogastrio frictionibus, tandem secundinas per partes cum atrocissimis doloribus violenter exuraxit: nulla tamen convulsio nec hæmorrhagia notabilis adfue-

runt; sed posterâ die omnia peritonitidis intensiora symptomata; simul ac vomitus et diarrhæa puerperam invaserunt. Gravissimum hunc morbum per quatuor dies solo potu emolliente et cibi abstinentiâ oppugnare misera speravit; sed dolorum victa gravitate, ad nosocomium tandem quintâ ab invasione die confugit: abdomen dolentissimum ac tumefactum, attactûs levissimi, imò fomentationes emollientium impatiens erat; lingua albida, pulsus parvi, celeres, depressi, decubitus supinus, cephalalgia, nauseæ, vomitus materiæ parcæ, viscosæ, diarrhæa levis, faciei mutatio periculosissimum denuntiabant morbum. Sagacissimus D. *Recamier*, cujus curis ægra commissa erat, hirudines n.° xxv., abdomini applicandas, posteàque in semicupiâ dimittendam ægram præscripsit; potu utebatur mucilaginoso. *Sexto die :* hirudinum applicationem et semicupia ubi per horam commorata fuerat ægra, omnium symptomatum secuta fuit remissio, simul ac in utrumque latus incumbendi facultas; sed tamen eòdem ferè modo perstiterant nauseæ, vomitus, albida linguæ illuvies et cephalalgia. Credit ægra solâ per vomitum incommodæ in ventriculo depositæ materiæ evacuatione, aliquod levamen obtineri posse. (*Pulv. rad. ipecac.* ℈*j ; julep. bechic. cum syr. diacod.* ℥*j ; fomentat. emoll. ; potus mucilag. ; balneum tepidum.*) *Septimo :* Vomitus materiæ parcæ, mucosæ, subviridis; balneum haud calidum satis administratum ac frigida cœli temperies glaciali ægram frigore ad lectum revertentem affecerant : illicò verò omnia sæviore quidem modo recrudescunt cum delirio, atque diarrhææ lochiorumque suppressione. (*Hirudines n.° xx iterùm abdomini admoventur, potus, fomentationes, julepus ut suprà.*) *Octavo :* nova symptomatum accessit remissio; sed aderat faciei collapsus, stupor, indifferentia, idearum confusio, decubitus supinus, prostratio virium, meteorismus cum fluctuationis in abdomine sensu; lochia alba colore redierant. (*Potus, fomentationes, julepus ut suprà, injectiones in uterum emollientes.*.) *Nono* : putridæ placentæ portiones per injectiones excernuntur; sequuntur brevi collapsus universalis,

prostratio extrema, sopor et tandem sub vesperam mors. *Cadaveris sectio.* Secto abdomine, humor copiosus, floccis et pseudomembranis abundans effluxit; peritonæum in nonnullis locis pallidum, in aliis rubrum, lividum erat; placentæ portio putredine affecta, uteri sat fortè agglutinata reperta fuit.

Quoad prognosin pro vario exitu, solummodò dicam quòd puris in abdominis cavo congestionem brevi plerumquè virium collapsus, et mors plus vel minùs propinqua subsequantur; tamen aliquandò, sed rarissimè, accidere potest ut pus sibi, felici quidem cum eventu per abdominis parietem, extùs viam faciat, ut *Frank* pluries in propriâ praxi vidisse testatur : « In feminâ non puerperâ (inquit) « ac in virgine adultâ, hâc peritonitidis specie laborantibus, ab- « domen circa umbilicum sponte apertum, plurimùmque puri- « formis materiæ effluxisse conspeximus : novimusque hoc idem « in puerperis aliquot, non lethali in omnibus eventu, successisse. » (*Loco citato.*) Simul ac invaserit gangræna, nulla spes habenda; de ægro actum est.

Cadaverum sectio. Nullum interdùm peritonæi inflammationis signum in cadaveribus hominum hoc morbo defunctorum, dùm brevis illa fuit, observatur; sed sæpiùs hæc membrana et alia interdùm viscera, pro vario morbi exitu, in nonnullis locis albida, rubra, livida, nigra, condensata, ulcerata, gangrænâ correpta apparent: effusus humor plus minùsve copiosus, albescens, turbidus, subviridis, fetidus, sero vel puri similis, secto abdomine, effluit : multæ lymphæ coagulationes et pseudomembranæ partìm in effuso humore liberè fluctuantes, partìm intestinis, peritonæo, mesenterio, omento agglutinatæ, illaque inter se colligantes reperiuntur, et illæ sanè sunt coagulationes quas *Morgagni* (1) pro omenti portionibus, et quas *Doublet* et alii lactis metastaseos fautores pro lacte

(1) Venter totus salso implebatur sero, in quo nonnullæ omenti portiones, atque alia quàm plurima filamenta natabant. (Ep. 47, art. 8.)

coagulato et casei portionibus habuerunt ; sed effusus ille post peritonitidem humor neque aspectu , neque chymico examine à puriformi illâ materiâ differt, quæ post aliarum partium inflammationes in quovis sexu et in quovis corporis cavo tam sæpè reperitur.

Cura. Præcipua verò medentis , ac felicior certè cura in avertendâ tam dirâ ægritudine, præsertìm in puerperis , consistet : atque sub ipsâ jam graviditate, perque totum puerperii tempus, hæc continuetur oportet : itaque in providendo ne balænis, ut sæpè fit, formæ vel furtivi amoris productum latitandi gratiâ , nimiùm comprimantur prægnantium ventres , in instituendâ necessariâ solùm ac moderatâ venæ sectione , in summâ athmosphæræ , præsertìm nosocomiorum puritate , in amovendo à puerperis potus spirituosos , frequentiores amicorum aditus , animi pathemata, ac in aliarum , hujus morbi causarum suprà enumeratarum aversione primum prophylacticæ curæ versatur argumentum. Interdùm etiam imminentem peritonæi inflammationem sive à primarum viarum saburris, sive ab exanthematis cujusdam metastasi , sive ab aliâ quâcumque causâ , subitò solvere , aut ejus saltem incrementum impedire accommodato remedio , causam morbi efficientem delente , vel ad pristinam sedem revocante , possibile erit ; sed dùm invaluit morbus, et plura ex supradictis adsunt symptomata , cura generalis instituenda est : hæc autem antiphlogistica imprimis esse debet ; nam in verâ peritonæi inflammatione , à venæ sectionibus tam generalibus, et pro indicatione repetendis quàm localibus , per hirudines ano , vulvæ , loco dolenti prout , res exigunt , applicatas , una quærenda salus ; sed cum illâ alia simul occurrere debent remedia ; nam præter causarum ab ægrotis removendarum sollicitudinem , omni cibo per totum morbi vigorem abstinebunt ægrotantes ; potu utentur emolliente , mucilaginoso , veluti radicis altheæ , hordei , lini seminum decocto ; multùm etiam conveniunt balnea vel semicupia tepida , inunctiones oleosæ , fomentationes emollientes pondere suo nequidquam molestæ abdomini admotæ , clysmata emollienti a

parca, ne intestina nimiùm distendant, sæpè repetita. Sed procul abest quin eadem semper medendi ratio adhiberi possit : causarum enim, et febris quæ peritonitidem comitatur, natura, princeps istius fundamentum est, et pro variâ illarum ratione, pro morbi intensitate, complicatione et exitu, pro urgentiore quodam symptomate, pro ætate et constitutione ægrotantium, methodus nunc hæc, nunc illa indicabitur. Itaque, si hæmorrhoidorum, mensium, lochiorumve suppressione producta fuerit peritonitis, quamprimùm hirudines n.° viij - xij, ano aut vulvæ admoveantur ; nam sæpissimè retentâ evacuatione de novo prorumpente, illicò judicatum morbum, aut multò saltem mitiorem decurrentem, complurium observatione constat auctorum : idem erit, si podagræ, herpetum, aut alterius cujusdam exanthematis acre per metastasin in peritonæum translatum epispasticis ad priorem sedem revocari possit.

Si verò à suppressâ transpiratione originem duxerit, post sanguinis evacuationem, balnea et fomenta tepida, potus leviter diaphoretici, veluti infusum florum sambuci tepidè sumptum, multùm conveniunt. Dùm autem sanguineus est corporis habitus, vel dùm à plagâ aut à contusione abdomini illatâ nata est inflammatio, fallax pulsuum depressio sanguinis missionem minimè impediat ; pleniores enim post iteratam venæ sectionem plerumquè fiunt. Quandò irritabilis est constitutio, adsuntque singultus aut alia spasmodica symptomata, levia sæpè sedativa prosunt. Si tandem effreni, ut in cholerâ, vomitus ac diarrhæa ægrotantem exhaurire videantur, tunc vel haustus antemeticus *Riverii*, vel pulvis radicis ipecacuanhæ fractâ dosi, potus emollientes et mucilaginosi ex radicibus althææ, salep ; juscula carnium tenuia cum oryzâ cocta, emulsio arabica cum opio indicantur : sæpè etiam pulvis radicis columbo ad scrupulum unum, ter in die porrectus, et parvi clysteres ex decocto quodam emolliente, cum laudano liquido profusam nimis diarrhæam temperaverunt. Sed maximæ hoc in morbo curæ, difficultates ex diversis complicationibus oriuntur. Itaque, dùm primarum viarum saburris aut biliosâ febre complicatur peritonæi inflammatio, procul

dubio est, quin haustus emeticus multùm prodesse possit; etenim in hâc complicatione, ob nosocomii parisiensis insalubritatem, hoc tempore frequentissimâ, magnam celebritatem methodus doctoris *Doulcet* sibi jure merito vindicavit. *Stoll* etiam emeticorum in his casibus salutarem summoperè laudat effectum. « Sæpè herclè mirabar (inquit) uno dato emetico et ferocientem illicò sopiri « febrim, et infandam cephalalgiam conticescere, ac placidissi- « mum mox à vomitu somnum obrepere, ex quo æger evigi- « lans, præter residuam aliquam lassitudinem, nil conqueratur. » Posthæc præscribentur potus aciduli alvum leviter moventes, veluti decoctum tamarindinatum, serum lactis cum cremore tartari, limoniorum succus, etc. Sed his tamen cautè utendum, præsertim purgantibus, neque auctoritati *Stoll*, dùm refert mulierem hoc morbo laborantem ante dimidium tertii à partu diei, trigesies miro cum levamine dejecisse, omninò obtemperandum opinor. Summus enim *Baglivi*, ni fallor, « alicubi ait, purgantia puerperis tanquàm pes- « tem esse fugiendâ. » Quandò verò adynamicâ aut atactâ febre complicatur peritonitis, quantùm contrarias illarum curationes conciliare difficile sit, neminem latet : in hoc autem infelici rerum statu, remedia tonica mucilaginosis juncta administrari possunt : itaque emulsio arabica cum extracto corticis peruviani, camphora, infusum polygalæ aliquandò præscribuntur; sed præsertìm in applicandis vesicantibus ac in summâ aëris et aliarum rerum, quæ ægrotos circumdant, puritate, licet plerumquè frustrà insistendum.

Ubi haud dubiis signis denunciatur suppuratio, nulloque modo puris resorptio speranda est, proponitur, ut extremum remedium, abdominis circa umbilicum perforatio, ut pus et alii contenti humores emittantur : huic autem operationi secundùm observationes celeberrimi *Frank*, suprà relatas, natura ipsa viam monstravit. Dùm autem effusus humor naturâ aut arte, extùs sibi viam fecit; illius effluxus quovis modo promovendus, corporisque oportunâ positione adjuvandus est. Intereà vires vitæ roborantibus ex cortice aliisque tonicis, ac bono alimento, vino mero sustinendæ sunt. Si

verò peritonitis chronicum usurpavit habitum, tunc vesicantia membris inferioribus apposita, stimulantes in abdomine frictiones, victus incrassans, potus mucilaginosi, balnea tepida ritè administrata, benignam aliquandò morbi solutionem attulerunt. Cùm accesserit gravis et universalis adynamia, prosunt lata vesicantia abdomini applicata, ut Londini observavisse triginta abhinc annis testatur præses noster professor *Des Genettes*, de puerperarum morbis, et præsertìm de peritonitide in scholis frequentissimè disserens.

Siquidem adeò felix fuerit æger, ut pertimescendo illo incolumis evaserit morbo, tamen adhuc pro sensibilitate et debilitate partium, per aliquod tempus omnibus prudentis diætæ præceptis obtemperet, necesse est : itaque victus exquisitus ex alimentis levibus stomacho amicis eligendus ; sedulò contrà rejiciantur crassa et acria : vitetur etiam magnâ cum sollicitudine frigoris impressio ; nam morbus in recidivam proclivis, eò immaniùs sævire solet, quò jam priori ægritudine corpus magis debilitatum fuerit.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

I.

A dolore vehemente partium, circa ventrem, extremarum partium frigus, malum. *Sect.* 7, *aph.* 26.

II.

In non intermittentibus febribus, si externa quidem sint frigida, interna verò urantur, et sitim habeant, lethale. *Ibid.*, *aph.* 72.

III.

Cùm morbus in vigore fuerit, tùm vel tenuissimo victu uti necesse est. *Sect.* 1, *aph.* 2.

IV.

Impura corpora quò magis nutriveris, eò magis lædes. *Sect.* 2, *aph.* 10.

V.

Incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move; vigentibus verò, quiescere melius est. *Ibid.*, *aph.* 29.

VI.

Ab hydrope detento si aqua secundùm venas in alvum fluxerit, solutio fit. *Sect.* 6, *aph.* 14.